
P. VIRGILII MARONIS GEORGICA,

[redacted] ELOQVENTIÆ ET Philosophiæ professoris Regij prælectionibus illustrata,

[redacted] *Ad* *Carolum Lotaringum Cardinalem.*





PARISIIS,

Apud Andream wechelum, sub Pegaso, in vico Bellouaco: *Anno Salutis* 1556.

Cum priuilegio Regis.

PRIVILEGII SENTENTIA.



Autum est authoritate Regia, ne quis alius præter Andream Wechelum [redacted] prælectiones in quatuor libros Georgicōn, ad Carolum Lotaringum Cardinalem, ante sex annos, in hoc Francorum regno imprimat: neue alibi impressos vendat. Qui secus faxit, libris & multa in sanctione æstimata pœnas pendito. Lutetiæ Parisiorum Idibus Septemb.


De Courlay.



PRAEFATIO [redacted] ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ professoris Regij, in P. Virgilij Maronis Georgica,

Ad

Carolum Lotaringum Cardinalem.





EC *verò terræ ferre omnes omnia possunt.*

Cur enim quod Virgilius Mecœnati suo quōdam proposuit, idē tibi

Mecœnati meo, hoc tempore non reponam? Varia enim ſunt (vt de cæteris taceam) literis deditorum hominum ingenia: Alij doctrinæ laudem (quæ noſtra ætate Ciceronianorum fama fuit[redacted]s epiſtolis conſectantur, alij poëticam Venerem, & quidem ferè patria ac populari lingua potiùs ſequũtur: plurimi interpretādis magni nominis authoribus operam, ſed ea lege tamen impendunt, vt muneris officiíq; ſui partibus abũdè ſatisfactum putent, ſi ſententias illuſtrent, interdum etiam licet improbabiles, attamen omni ratione tueantur, ac mordicùs teneāt: nonnulli, & hi quidem rariſſimi, non tantùm interpretes, ſed iudices & æſtimatores rerum eſſe volunt: quę propria

propria quondam veterũ in omnibus artibus hominum gloria fuit, quæque noſtra memoria reuiuiſcere paululùm cœpit. Grammaticam enim hodie, non dico Alexãdri de Villa Dei clariùs expoſitã, ſed omninò Grammaticam elegantiorem & lautiorem tenemus: In Mathematicis artibus accuratius aliquid, in Aſtrologia præſertim quotidie cernimus. Quid Galenum in Medicina? an Galli, Germani, Itali explicare tãtùm, non etiam corrigere locis permultis & emẽdare voluerunt? In iuris autem ciuilis prudentia homines ingenio & eruditione præſtãtes vſitatam docẽdi formam penè totam mutauerunt: nec Iurecõſultos interpretum veterũ commento potiùs, quàm Iureconſulto-

rum ipſorum verbis examinandis, ac ſententiis via & ratione comparandis & deducendis interpretantur. Genus igitur iſtud docendi, Mecœnas, imprimis amplectimur & amamus, quo diſciplinæ non modò clariores, ſed humanæ vitæ commodiores & vtiliores efficiuntur: quales aliquando ſpero te noſtris vigiliis ingenuas & liberales artes habiturum. Hoc in Rhetoricis & Dialecticis ſtudiis meditationes noſtræ multos annos ſecutæ ſunt: Hoc item in Mathematicis elementis commẽtationes noſtræ iam ſequuntur: neque gratius aut optatius quicquam nobis vnquam accidet, quàm vt harum in cæteris artibus exercitationum labores nobis perferre liceat. Itaque ſi quid etiam

etiam eloquentiæ gratiâ profitemur, idipſum ferè artis alicuius prætereà & doctrinæ gratiâ profitemur: Vt in Ciceronis Somnium, Fatum, Leges: vt modò in Virgilij Georgica fecimus: in quibus quæ præcepta tam multis contentionum & altercationum libris Ariſtoteles obſcurè diſputat, de ortu interitúque rerum, de accretione & diminutione, de alteratione, de loci mutatione, ea per ſpecies rerum naturalium demonſtrantur, quomodo generãtur, corrumpuntur, augentut, minuuntur, alterantur, loco mouentur ſegetes, arbores, vites, boues, equi, oues, capræ, apes: denique res ferè naturales omnes, quarum cognitionem neceſſitas humanæ vitæ deſiderat.

Quam-

Quamobrem vt à quo præfationis initium ductum est, ab eodem conclusio petatur:

Túque ades, inceptúmque vnà decurre laborem,
O decus, ô famæ meritò pars maxima nostræ
Mecœnas, pelagóque volans da vela patenti.